

I 2 W

1 6 0 5

✓ 00/19.

ms. Nr. 296.

Gesner, Jul. (Zug disputations)

—(46) Hoe, M.

K. IV. 31.

Rupertus Niesing accepit
Jacobo Tappia.

comptur 1.13.7



DISPUTATIO IX.
PRO SECUNDA
 PARTE EXAMINIS CON-
 CILII TRIDENTINI REVEREN-
 DI ET CLARISSIMI VIRI, DN. D.
 MARTINI CHEMNITII.

Duo continens capita

- I. *De Festo Corporis Christi.*
- II. *De asservando Eucharistia Sacramenta, & ad infirmos deferendo.*

Cujus positiones

SVB AVSPICIO IESV CHRISTI.

PRÆSIDE

SALOMONE GESNERO,
 SS. THEOLOGIÆ DOCTORE ET PROFES-
 SORE in Academia Witebergensi publico, ad
 diem 27. Julij in Templo Arcis Electoralis
 discutiendas proponit

DANIEL COTHENIVS
Brunsvicensis.

WITEBERGÆ, Typis Meisnerianis Anno 1603.



REVERENDO, CLARIS-
SIMO ET MAGNIFICO

DOMINO

POLYCARPO LYSEROSS. Theologiæ
Doctore Excellentissimo, Aræ Electoralis Saxonicæ Antistiti pri-
mario, Synedrij Ecclesiastici Assessori dignissimo:

NEC NON

Reverenda Dignitate, multaq; rerum scientia præclaris Viris:

DN. GEORGIO OEDINGIO

DN. AVCTORI RENNEBOCIO verbi divini præ-
conibus apud Brunsvicensis ad D. Magnum vigilantissimis.

Amplissimis item Prudentissimisq; Viris

DN. HENRICO PASCHEN.

DN. PETRO MARTENS Inclytæ Lubecensium poli-
tiæ Senatoribus spectatissimis.

VT ET

Viris humanissimis, omniq; virtutum laude conspicuis,

DN. GEORGIO VVESTHOVIO.

DN. VVILHELMO HVMBORG ejusdem florentis-
simæ Reipub. civibus primarijs.

*Dominiis patronis, promotoribus ac fautoribus suis omni observantia-
rum genere æternum colendis,*

Theologicum hoc γύμνασμα

IN

Studiorum suorum μαρτύριον,

Grati animi τεκμήριον,

Debitaq; observantiæ σύμβολον,

Dicare & inscribere

meritissimò debuit, libentissimèq; voluit.

DANIEL COTHENIVS Brunsvicensis.

T H E S I S I.



Sicut fieri consuevit semper, quando semel à regia via deflexum est, nisi ad veram viam redeatur, nullus aberrandi nec finis nec modus est: Ita etiam mitrati illi Romanenses paterculi in Tridentino illo maleferiato Conciliabulo à genuino Verborum Cœna Domnica sensu discedentes, ab una in aliam abominationis fœditatem prolapsi, eò usq; tandem temeritatis progressi sunt, ut circumgestationi, venerationi & ostentationi panis consecrati, seu manifesto suo ἀστολατσία, crimini, de quo in precedente disputatione fuit actum, peculiare ac solenne quoddam festum anniversariū indixerint: ac morem inde pullulantem asseruandi videlicet in Sacrario panem, quem dicunt in corpus Christi esse transubstantiatum, & ad infirmos deferendi, omnino salutarem & necessarium sub anathematis fulmine decreverint.

II.

Hac duo gentis Romana βδελύγματα, ut nemini non pio perspicuè innotescere queant, ad trutinam Verbi divini revocantes. 1. quibus illa ritibus ac ceremonijs à Romanensibus peragantur: 2. Unde originem traxerint: & 3. quid de ijs secundum scripturam, unicam veritatis regulam, sit sentiendum, videre & ὑπὸ θεῷ in presente disputatione animis satagit.

C A P V T I.

DE FESTO CORPORIS CHRISTI.

III.

Festum hoc Corporis Christi feria semper IV. à festo Trinitatis Pontificij passim theatricâ hâc Idolomania pompâ celebrare solent. Hostia consecrata, quam in Corpus Christi substantialiter conversam esse fingunt, in splendida theca, vulgò monstrantia dicta, reponitur: mox instituta solenni processione populi à sacrificulis per plateas, per vicus & compita jubila-

*I.
Ritus quibus passim in pontificatu hoc festum peragitur.*

A 2

tione



tione & alijs plurimis ineptijs multis in locis circumgestatur.

IV.

Ceremonia, quibus
Romæ celebratur.

Roma verò sanctissimum hoc Eucharistia Sacramentum pontificia seu potius Ethnica plus certè quam regali & imperatoria pompa servare cogitur. Non secus enim ac olim Persarum Sacer ignis, quem Orimasda appellabant, ara impositus super equo, qui regem precedebat, circumvehatur: 1. pompâ plusquàm persicâ equo albo, mansueto, phalerato, insignibus Papa instructo unâ cum pulvino precioso hostia theca imponitur, & proxime ante Pontificem ducitur, accurrentibus & comitantibus multis hominû millibus: 2. Et ut concursus & multitudo fiat major, instituunt Sacrificuli tantos boatus, ut illos quis audiens Arcadia pecuaria rudere verè dicat: 3. adhibent etiam instrumenta musica, campanarum majorum, nolarum & tintinnabulorum clangorem, disyllis quoque nonnullis in locis tormentis bellis.

V.

4. Equum antecedunt duodecim familiares Papa pedites, rubra veste induti, praeferentes 12 intorticia idolo: 5. Inde duo familiares Sacristæ equestres etiam rubro induti, portantes lanternas argenteas cum cereis & luminaribus accensis: 6. Fron-
dibus & floribus jubilatione magna quaquaversum sternuntur pavimenta, serico, auro, clinodijs, & auleis parietes exornantur: 7. Et tandem plebecula aliàs sat superstitiosa tanto strepitu & tumultu magis consternata in conspectum Idoli hujus verè Mausim inclinatione, genuflexione, elevatione manuum, insione pectoris & alijs gesticulationibus id adorat, ut videlicet urbes & agros Deus hic ipsorum Panaceus ab incendijs, tempestatibus & alijs malis custodiat.

VI.

II.
Origo huius festi.

Hujus festivitatis morem bonâ fide ex ipsorum monumentis descriptum primò excogitatum esse ab Urbano IV. pontifice Max: ipsimet Doctores pontificij haud inficias ire possunt, qui (ut ipse in Bulla fatetur & Iohannes Balæus refert) ad festum hoc

hoc instituendum oraculo quodam impulsus fuit, quod quibusdam personis sanctis (scilicet) revelatum fuerit, de festo quodam corpori Christi instituendo, & quotannis generaliter celebrando.

VII.

Sancti autem illi, quibus revelatio isthac facta, fuit muliercula quaedam monialis in Gallia diocesi Leodicensi, nomine *EVA*, quae *Vrbano* huic antehac in minori dignitate constituto familiariter (pro ut istud hominum genus vivere assuefactum est) fuerat nota: Hujus ergo hortatu ac devotione *Bonus* ille *Vrbanus* pro eo, quo illam amplectebatur, amore motus, hoc festum instituit *ocys* (Anno Domini 1264. supputante *Onuphrio Panvinio*) rescriptis ad eam literis, se fecisse, quod illa divinum oraculum (à spiritu scilicet illo, quo *Eva* prima omnium nostrum mater fuit seducta profectum) postulasse mentiebatur.

VIII.

Eadem haec constitutio post annos 50. à Successoribus *Clemente V.* in Concilio *Viennensi Galliarum* à 300. Episcopis celebrato, *Martino V.* *Eugenio IV.* & alijs compluribus Pontificibus *Romanis* confirmata & districtè mandando praecipita est, ut ubiq; servaretur, siquidem antea non ab omnibus festum hoc receptum esse glossa testatur.

IX.

Largas etiam confertas & concussas indulgentias festivitati huic addentes, tantam ejus esse sanctitatem constituerunt, ut nulla festivitas alia huic indulgentiarum copiâ equipolleat: Sicuti *Clariss.* atq; *Excell.* *D. D. Chemnitius* ex *Pomerio* & alijs collegit summam 4400 dierum, quibus per festum illud & totam ejus octavam potiri valet, indulgentias, non modò, qui per illud temporis spatium devotus fuit & *Sacro* illi interfuit: sed & qui spectator duntaxat ludi hujus *Persici* existit.

X.

Et haec quidem hujus festi pompa, haec ejus origo, hi ejus auctores sunt: non *Christus*: non *Apostoli*: non *Ecclesia primitiva*:

tiva: non patres Ecclesiastici: Sed par nobile amantium, V R-
B A N V S nempe cum sua E V A.

XI.

Vnde jam igitur novo huic & tali festo tanta auctoritas, ut anathematis fulmine in Tridentina congregatione? ubi alias tantum Apostolicas traditiones & catholicum consensum Ecclesie omnium atatum, gentium & populorum, qua omnia huic festo desunt, crepare soleant.

XII.

III.
AVE. & KEU.

Ceterum ne tanquam victores publicum quasi triumphum ante victoriam agere & nostram Ecclesiam haereses insimulare queant: exigemus jam ea dicta omnia ad normam veritatis, & gravissimis argumentis abominationis hujus scditatem demonstrabimus.

XIII.

1.
Idolum
Novatio-
nis.

Ac initio ipsimet Romanenses vel inviti fateri necessum habent, institutionem huius festi carere verbo, auctoritate, precepto & promissione divina: item exemplo antiquitatis omnium tam graecae, quam latinae ad annos ferè à nato Christo 1300, quibus nihil hujusmodi visum, nihil auditum, sed penitus ignotum fuit, uti patescit ex ipsa glossa in Clementinis lib. 3. tit. 16.

XIV.

2.
Idolum
diabolicae
revelatio-
nis.

II. Sed vano tantum & quidem levissima cujusdam muliercula somnio gravissimè Deut. 13. v. 1. & 2. prohibito nititur. Iam autem tantum abesse debebat, ut mulier novos cultus norme verbi divini repugnantes & suggestionem mali spiritus effictos sub salutis periculo religiose servandos nobis obtrudere, ut etiam prorsus in Ecclesia tacere à Paulo jubeatur. 1. Cor. 14. v. 34. & 1. Timoth. 2. v. 12.

XV.

Deo enim ejusmodi cultus, licet bonà aliàs intentione & studio ab hominibus etiam devotis eligantur & instituantur, vel inanes & inuiles contentiones, vel ἀδελοφρονεία impie & idololatrica

Idolatrica sunt, quas severè prohibet Iehova Deut: 12. v. 23, Non quod tibi videtur, inquit, facies Domino Deo tuo: sed quod ego tibi precipio, hoc tantum facies Domino Deo tuo: Propheta & Christus frustraneas hominum traditiones esse asserunt Esai. 29. v. 13. Matth. 15. v. 9. & Apostoli damnant, ac graviter precipiunt, ne quis seduci se patiatur in parte diei festi Coloss. 2. vers. 16.

XVI.

Oggannit quidem Iesuitarum manipulus, hand posse factum hoc improbari: Licere enim Ecclesia nova festa condere & introducere, quamvis ab ipso Christo minime sint instituta vel mandata.

XVII.

Sed turpe committitur σοφισμα παρὰ τῆς ἀγνοίας τῶ ἐλέγχῳ & malitiosa status controversia immutatio. Non enim disquiritur: An Ecclesia potestatem habeat certos dies consecrandi, quibus precipui fidei articuli aliquo ordine populo per annum proponi, repeti & contra quasvis corruptelas retineri possint: Hoc enim ἀδιάφορον esse hand sumus nescij.

XVIII.

Nam sicut liberâ Ecclesia dispositione & consensu totus annus in certa quadam festa distributus est, & à nobis illa non superstitionis, sed ministerij, ordinis, disciplina & exercenda pietatis causa observantur: Ita etiam hoc extra omnem planè controversiam positum est, ac nemo piorum reprehenderet, si certo anni tempore (quod etiam in plerisq; reformatis Ecclesiis ipso die instituta cæna fit) Ecclesia frequentius conveniret, & in illo conventu, non theatrica panis consecrati circumgestatio, sive ejus extra usum sumptionis adoratio externa instituere- tur, cujus nec in ipsa Bulla institutionis festi corporis Christi ul- la fit mentio.

XIX.

Sed doctrina de Cæna Domini justa tractatione simpliciter & clarè proponeretur: omnes corruptela puritatem illius do-
ctrina.

Et rina contaminantes refutarentur: homines, quantum thesaurum Christus Ecclesia in testamento suo legavit, admonerentur: pro beneficijs illis, quae Coena Dominica exhibet & confert, Christo Salvatore gratia in Ecclesia magna agerentur: taxatâ negligentia homines ad crebriorem Eucharistiae usum per totum annum invitarentur &c.

XX.

Verum hoc proprium κεινόμενον est: 1. An Ecclesia habeat potestatem ordinandi nova festa sub opinione necessitatis, cultus & meriti. 2. An venerabilis Corporis & Sanguinis Domini Sacramenti, quo nullum Sanctius in terris est mysterium, legitima administratio & sumptio festi sub opinione meriti dedicationem: 3. An inclusionem, circumgestionem & scenicos ac theatricos ludos: Et 4. praecipue: An religiosam hostia illius in monstrantia inclusa adorationem admittat.

XXI.

Nos justis ac gravissimis fœderationibus, adversus quas fœx Lojolana nil quicquam (satis scio) imò ne inferorum quidem porta praevalerent, ubiq; negativam amplectimur sententiam: Affirmativam quippe impiam & summè blasphemam Romanensibus relinquentes.

XXII.

Primum enim τὸ κεινόμενον membrum Christiana seu Evangelica libertatis substantiam concernit, cuius sine abnegatione & scandalo ejus affirmativa recipi aut observari nequit. Quis enim liberum fuerit id, cui vel cultus, vel meriti, vel necessitatis aliqua opinio affingitur & sic Ecclesiae servandum obtruditur?

XXIII.

Iugum certè & palma jactura hoc est, non libertas. Absit autem & quam longissimè absit, ut iugo servitutis rursus implicari & ejusmodi decretis, demonum doctrina teneri nos patiamur, stantes potius in libertate, quâ Christus nos liberavit Galat. 5. v. 1. Coloss. 2. v. 18.

Reliqua



XXIV.

Reliqua tria $\kappa\epsilon\iota\nu\omicron\mu\epsilon\nu\varsigma$ membra quod attinet, eorum affirmativa è diametro auctoritati & mandato ipsius Christi repugnat, qui in verbis institutionis 1. Corpus suum cum pane distribuere: non festum eidem dedicare voluit: 2. panem edere & ex calice bibere; non alterutrum includere & theatricâ pompâ ad spectandum circumgestare iussit: 3. istud facere in sui commemorationem cum annunciatione mortis suae: non cum tali adoratione sui corporis, quae fiat in hostia consecrata & transubstantiata praecepit Matth. 26. Mar. 14. Luc. 22. 2. Cor. 11.

XXV.

Vnde jam infallibiliter inferimus: Servator tractationem huius Sacramenti non festorum dedicatione, sed distributione: Vsum non circumgestatione & spectaculo, sed manducatione & bibitione: Venerationem non adoratione, sed pia mortis suae commemoratione definivit. Ergo impium est & ultricibus inferorum flammis vindicandum, contrarium facere.

XXVI.

Sed hic Bellarminus Lojolana gentis facile antesignanus & versipellis ille Iesuita Pistorius obstrepunt, & ab exemplis Iudeorum, Mardochei & Esther, Esth. 9. v. 21. Judith, Iud. 16. v. 24. & Macchabeorum 1. Macc. 4. v. 56. solennes festivitates instituentium: & circumgestatione arcae fœderis, ejusdemq; deductione à Davide & Salomone suscepta talem collectionem instituunt: Quemadmodum eorum festivitates: horum solennes processiones placuerunt Deo, licet minimè ab ipso fuerint mandata: Sic idem etiam de Corporis Christi festivitate & circumgestatione sentiendum est.

Bellar: Lib. 4. de Sacram. Euchar. cap. 30. Pistorius in suo libro cui titulum fecit Wegweiser für alle verführere Christen pag. 381. & 382.

XXVII.

Ast in priori $\epsilon\lambda\epsilon\gamma\chi$ & parium est: Longè enim alia fuit ratio festivitatum iudaicarum, in memoriam insignium beneficiorum divinorum semper institutarum, & huius papisticae solennitatis, quae tantum propter revelationem anilem praecepta,

B

magnum

magnum insuper acervum superstitionum, opinionem cultus, necessitatis & meriti, aliorumque malorum secum trahit.

XXVIII.

In posteriori autem multiplex vitium. Siquidem I. Dispar horum ratio est: Arca enim circumgestatio, qua Iosua 6. exstat, peculiari Dei mandato nititur: sicut ejusdem etiam deductio à Davide in suam civitatem & Salomone in templum Domini in Sanctum Sanctorum itidem non sine Dei verbo suscepta est: Quo Dei verbo non tantum plane destituitur papistica illa hostie circumgestatio & idololatrica adoratio: Verum etiam eidem vehementer adversatur.

XXIX.

II. Nugantur seu potius mentiuntur Jesuita, asserentes placuisse Deo omnem arca circumgestionem, sive ipse mandasset sive non. Contrarium enim clare evincit historia 1. Sam. 4. v. 3. 4. 5. descripta, qua testatur, adeo Domino arca de Siloh ad castra deductionem displicuisse, ut exercitus Israelitarum (non principaliter propter antecessas illorum iniquitates vel in primis sacerdotum Ophni & Phineae, uti quidem Bellarminus regerit) fusus fugatusque: sacerdotes, qui arcam asportarunt, occisi: arca denique ipsa ab hostibus capta fuerit, & sic male omnino eventus responderit.

XXX.

III. Nequaquam justa ac legitima quoque applicatio hic fit: quia hunc in modum colligere deberent: Sicut ab Israelitis non mandante Deo, sed carnali studio & impiam in arcam fiduciam haud impune sine nominis divini blasphemiam circumgestatio arca fuit suscepta: Ita etiam Idoli scriniolo sive sacrario inclusam circumgestatio omni verbo & mandato divino carens sine execranda, imò horrenda Cæna Dominica profanatione ac justo aliquando Dei judicio illam vindicante peragi nequit.

XXXI.

Cæterum prestigiatores agunt Jesuita, sub festi huius observatione longe aliud querentes. Non enim propter ordinem in
Ecclesia

Ecclesia (quem omnes p̄ diligenter observandum judicant, juxta illud Apostolicum: omnia decenter & ordine fiant 1. Cor. 14. v. ult.) tantâ contentione de hoc festo revertendo pugnant, sed ut impietates & adhuc idola alia, quibus hac constitutio est obnoxia, tegere & reservare possint: Quorum brevis enarratio tertium negativa nostra fundamentum constituet.

XXXII.

Nam 1. Festi hujus celebratione grande illud & non temporali, sed aeterno infernaliq; patibulo dignum Sacrilegium mutilationis Cœnae Dominicae stabilitur, quae quidem tempore Urbani nondum erat recepta, ut testatur ipsa Bulla institutionis, sed à recentioribus papistis ποτηριον κλέπτου, commissa fuit. Quam unicam causam utpote primariam nostra Confessio expressit.

XXXIII.

2. Impium quoq; Transubstantiationis commentum, quod tanquam vita ac anima hujus festi est, hisce confirmatur. Nisi enim panis consecratus in corpus Christi substantiari stulte putaretur, nunquam profecto talis hostiae festivitas institueretur.

XXXIV.

3. Præterea usus Cœnae Dominicae divinitus institutus adverteratur, & in aliam actionem & specie diversum usum transfertur: Sublatâ enim Corporis Christi manducatione theatricus planè lusus circumgestatione occupatus in hoc festo impiè satis contra Dei verbum adornatur.

XXXV.

4. Accedit, quod hominibus persuaderur, Christum in pane consecrato, quando circumgestatur non minus nec aliter adesse, quam in vero usu cœnae divinitus instituto adsit. Unde 1. idololatrica adoratio corporis Christi sub accidentibus panis transubstantiati latentis per blasphemiam ἀστολατρεία: ut & 2. vanissima & absurdissima Scholasticorum quaestiones & disputationes ortum suum traxerunt: Quid videlicet mures comedant, cum arrodunt hostiam consecratam, an (horresco referens) ipsum cor-

3.
Idolum
mutilatio-
nis.

4.
Idolum
transub-
stantiatio-
nis.

5.
Idolum
ostenta-
tionis.

6.
Idolum
inclusio-
nis.

7.
Idolum
adoratio-
nis.

pus Christi: unde vermes in asseruatis speciebus transubstantiatis saepe generentur? & horum similes, de quibus & adhuc hodie inter Iesuitas disceptatur.

XXXVI.

8.
Idolum
vanæ per-
suasionis.

5. *Novus cultus Christi, Prophetis, Apostolis, imò toti primitiva Ecclesie planè ignotus & nullibi in scriptura expressus, sed recens in hominum & quidem muliercula cujusdam cerebro natus humano arbitrio introducitur.*

XXXVII.

9.
Idolum u-
nitatis
Christia-
næ divul-
sionis.

6. *Per istud festum abducitur gens Christiana à crebriori & vero usu Cœnae Dominicae: dum persuadentur sumptionem cum magnoperculo esse conjunctam: cultum vero hujus festi præstantiorem & Deo gratiorem, imò sine periculo multo magis esse meritorium.*

XXXVIII.

10.
Idolum
asphe-
riae &
prophana-
tionis.

7. *Utilitates Sacramenti in res alienas transferuntur. Eucharistiam enim ideo instituit Christus, ut ipse nobis offerat, donet, applicet & obsignet beneficia & merita mortis suæ. Urbanus verò de hoc festo in bulla sua dicit explicite id Pomerio: Quando homo contritus in illo festo interest processioni & exhibet solennè reverentiam Sacramento circumgestato: tum illo cultu & opere meretur & consequitur plurima bona, scilicet acceptationem Dei, benedictionem, conversionem à peccato, defensionem ab omnibus periculis & malis, fructificationem meritorum & exauditionem: Imò, ipso etiam citante ex Richardo, quod si quis sit in peccato mortali & non consequatur remissionem peccatorum, prudenter agat, si facit in illo festo, quod continetur in forma indulgentiæ: eo quod bona facta in peccato mortali disponunt de congruo ad penitentiam, & mediante ea ad remissionem peccatorum.*

XXXIX.

11.
Idolum
Nundina-
tionis.

8. *Fœda Simonia & turpis indulgentiarum nundinatio proponitur & introducitur, cujus supra in thesi 8. mentio facta est.*

XL.

Atq; hæc sunt emblemata illa, paradoxa ac idola, quæ festum Corporis

Corporis Christi in pontificia Ecclesia complectitur, quorum blasphemam asseverationem, cum re vera nihil aliud sit, quam publica & solennis ipso facto contra institutionem Filij Dei protestatio, suis auctoribus relinquimus: Et ad alterum nostra disputationis membrum accessum facimus.

CAPUT II.
DE ASSERVANDO EUCHARISTIAE
Sacramento & ad infirmos deferendo.

XL I.

Alteram hanc papisticam Cæna Dominica corruptionem & nefariam conspurcationem eodem ordine ac modo examinantes i. morem ac originem ejus ex ipso Concil. Trident: pauculis his verbis descriptum proponimus.

XL II.

Panis Eucharistiae ab Episcopo seu presbytero in paschali vel alia solenni communionem, recitatione quidem verborum institutionis benedictus, sanctificatus aut consecratus in sacrario sub custodia, clavibus & seris adhibitis ita reponitur, includitur & asservatur, ut post aliquot tandem dies, septimanas, menses, vel annos vix demum sequatur ejus sumptio & manducatio. Et si qui infirmi sunt panem illū transubstantiatum ad eos cum decenti semper habitu ac lumine precedentium & tintinnabulo deferri debere Innocentius III pont. Max. prius mandavit: mox postea Honorius III approbavit: & sequentes tandem pontifices certo indulgentiarum numero ornato confirmarunt.

XL III.

Hanc asservationem Tridentinum decretum catholicam, salutarem & necessariam sanciens, nullum quidem non movit lapidem (ausu tamen, uti ex sequentibus manifestum evadet, frustraneo) quò ejus originem antiqua consuetudine & more vetustissimo palliare ac confirmare posset.

XL IV.

Sed antequam ad falsam hanc antiquitatis persuasionem

B 3

diluen-



dituendam accedamus, paucis expedire prius lubet: An mos iste reservationis catholicus & necessarius dici possit aut debeat?

XLV.

Constat autem inter omnes, & Ecclesia orthodoxa firmum, ratum ac fixum axioma est: Illud tantum Ecclesia Christi verè catholicum ac necessarium esse, cuius à Capite Christi exemplū præscriptum seu mandatum: ab Apostolis observatum & traditum in Verbo Dei ostendi & probari potest: ac quod aliàs nil quicquam hæc conditione carens vel totius mundi consensus τὸ καθολικόν constituere valcat.

XLVI.

Sed Christi jam institutionem nec magisterio nec exemplo (ut Cypriani Verbis utar) præscribere vel mandare: Apostolorum observationem nec nominare nec tradere asservationem Eucharistiae extra usum distributionis & sumptionis manifestissimum est.

XLVII.

Nam 1. panem benedictum Christus asservandum in pixi de nō reposuit: sed fregit ac discipulis suis dedit: 2. nec iussit eos, ut ipsi panem illum reponerent, asservarent, circumgestarent vel alijs ostentarent: Sed dixit accipite, manducate: 3. nec inter benedictionem, distributionem, sumptionem & manducationem nulla interposita fuit mora, sicut id cum Marcus in media descriptione alterius inserens hæc verba: Et biberunt ex eo omnes, testatur: tum etiam ipsa temporis annotatio & supputatio evidenter ostendit.

XLVIII.

Quapropter quilibet vel Theologia saltem tyro concludere rectè novit, morem illum universæ Ecclesie Christi catholicum & quidem ut salutarem & necessarium ubiq; retinendum conscientijs imponere tyrannidem esse, ac neminem illud ipsum tentare, nisi qui in templo Dei sedens ostentat se quasi esset Deus & se extollit supra omne, quod dicitur Deus 2. Thess. 2.

XLIX.

Et Iesuita Bellarminus suo ipsius gladio se jugulat, dum pa-

nemo

nem ante manducationem sacramentum probare desudat ex
 verbis Pauli 1. Cor. 10. v. 16. panis, quem frangimus, nonne
 vocis Corporis Christi est: Vbi sanè Paulus panem nõ Sacramen-
 tum dicit extra usum, ut sibi Papicola hic cecutiens persuadet,
 sed in ipsa communionem seu manducationem esse firmiter asserit.

Lib. 4. de
 Sac. Euch.
 cap. 2.

L.

Quanta autè sit & quam improba ejus sophisticandi libido ex
 vanissimo allato simili de sede in substantia extra usum verè
 manente, & ad tremendum hoc mysterium collato in eodem
 cap. 2. lib. 4. sub finem, nemini sanè præterquam extremè inex-
 pertis potest fieri incompertum.

L. I.

Ac frigidum sanè & elumbe prorsus κρησφύγετον quarunt
 nostri Tridentini patres, dum illum asservandi Eucharistia mo-
 rem non quidem Catholicum, sed potius Ecclesia Catholica mo-
 rem appellare, ac proinde Apostolicum esse volunt.

L. I. I.

Nam 1. Symbolum nostrum eam esse catholicam Ecclesiam
 definit, quæ est Apostolica, cui Christus hoc emblemata inscrip-
 sit Matth. 28. v. ult. Docentes eos servare ea, quaecumq; ego præce-
 pi vobis: Item Joh. 10. v. 27. oves meæ vocem meam audiunt. Et
 2. non statim sufficit absq; ulla probatione & documentis finge-
 re hoc vel illud Apostolicam esse traditionem, cujus ne ullum
 quidem vestigium in Apostolica historia exstat.

L. I. I. I.

Sicut & hoc de nihilo planè ac rancidum ipsorum commen-
 tum est, quod obvertunt, morem in pontificia Ecclesia usitatum
 nec reprehendi nec damnari ullo modo posse, nisi simul etiam u-
 niversa Christi Ecclesia damnetur.

L. I. V.

Nulla sanè est ratio consequentia, quod ideo statim omnes
 veteres Ecclesie damnentur, quando pontificij abusus, addita-
 menta & horrenda profanationes taxantur. Quia inquit Cypri-
 anus

anus

anus lib. 2. epist. 3. Si quis de antecessoribus vel ignoranter vel simpliciter non hoc observavit, quod nos Dominus facere exemplo & magisterio suo docuit, potest simplicitate ejus de indulgentia Domini venia concedi: nobis vero non poterit ignosci, qui nunc à Domino admoniti & instructi sumus, ut ubiq; lex Evangelica & traditio Dominica servetur, & ab eo quod Christus docuit & fecit, non recedatur. Siquidem talis errans perseverat prudens & sciens in errore, & cum ratione superetur, presumptione atq; obstinatione contra nititur.

LV.

Musitant paterculi excipientes, se morem & consuetudinem universa Ecclesia post Apostolorum tempora intelligere.

LVI.

Age videamus igitur & hoc: An Eucharistia asservatio in pixide semper, ubiq; & ab omnibus in universa Ecclesia omnium aetatum, omnium gentium & populorum pro dogmate catholico & necessario recepta, approbata & observata fuerit.

LVII.

Ac r. inter reliqua, quae D. Chemnicus annotavit, ipsis ante oculos ponimus, ipsorum proprium jus Canonicum, quod de consec. distinct. 2. cap. Tribus gradibus ex Clemente Romano pontifice describit sententiam, quomodo presbyter, diaconus & minister reliquias fragmentorum corporis Domini custodire debeant.

LVIII.

Non autem per custodiam illam intelligit reclusionem, sed apertam addit declarationem his verbis: Tanta in altario certe holocausta offerantur, quanta populo sufficere debeant: quod si remanserint, non reserventur in crastinum, sed cum timore & tremore clericorum diligentia consumantur.

LIX.

Ac ne de oblationibus populi hoc intelligatur, mox addit: Clericos illos residua corporis Domini, quae in Sacratio relicta sunt, consumere debere. Et licet glossa quidem hoc conetur eludere,

dere,

dere, quasi tantū prohibeatur ibi reservatio ad opus consecran-
tium: frustra tamen laborat: textus enim disertè loquitur de
communione populorum. LX.

Sed petunt tamen Tridentini vopodēta diēti sui rationem
ex inductione & serie benè longa patrum ac Conciliorum tum
priscorum tum recentium, qui omnes quasi uno ore Eucharistia
reservationem in pixide fateantur.

LXI.

Vani autem & mendaces in allegatione invenientur, dum
nimirum cum S. patrum verbis, partim mutilatè, partim im-
pertinenter citatis affingunt sensum, qui ne per febrim quidem
in mentem ipsis venire potuit.

LXII.

Nam prima statim ipsorum auctoritas ex canone quodam
Synodi Nicenæ allata, quod videlicet diaconi potestatem offeren-
di Sacrificij non habentes absente presbytero vel Episcopo conse-
cratam Eucharistiam proferre ac edere possint: assurtia & planè
dubia est, ac facile diluitur: Siquidem 1. Seculum istius Concilij
nequaquam verustissimum Ecclesia Christi tempus est.

LXIII.

Tum etiam 2. Canones isti, licet titulum Niceni Concilij
pra se ferant, non modo incerti ac dubij, verum etiam suspecti
sunt, quemadmodum & de ipsorum falsitate ipsi Romanenses in
6. Carthaginensi Synodo convicti, occubuerunt.

LXIV.

Nam posterior sententia, alludens ad reservationē, ut vide-
licet si nō adfuerit vel Episcopus vel presbyter, ipsi diaconi pro-
ferant & edant: in Canone illo nec gracè legitur, nec in decretis
distinct: 93. cap. nec in priori etiam editione Conciliorum repe-
ritur: sed tantum secunda editio sicut ex Canon. 14. facit 18, ita
etiam assuit sententiam illam, de qua tam maximè inter nos cō-
trovertitur.

LXV.

Legitur quidem apud Rufinum lib. 1. cap. 6. in illo Canone
talis additio: sed non eo modo, sicut in Tomis Conciliorum: Nihil
C enim



enim habet de proferendo quasi reservatū fuerit, sed simpliciter dicit: Diaconi presentibus presbyteris Eucharistiam non dividant: si verò presbyter nullus sit in presenti, tunc demum etiam ipsis licere dividere: ubi assumendum illud non de circumgestatione & ostentatione ad cultum & adorationem: Sed de prolatione, id est, distributione aperte loquitur.

LXVI.

Quod si jam igitur seriò hoc agere vellent Tridentini patres, ut conscientijs in articulis hoc tempore controversis monstrarent certa & solida fundamenta, profectò non collocarent in dubia illa Niceni Canonis sententia. Verum quia nomine sui pontificis ad se etiam istas Canonistarum sententias referunt: Papam habere voluntatem in his, quæ vult: ideo pro forma tantum aliquid dicunt, qualecunq; illud tandem sit, & mox addunt suum illud: Omnino statimū necessarium aut anathema sit.

LXVII.

Alterum quod adducunt testimonium: Iustini nimirum seculo Eucharistiam à Diaconis ad absentes fuisse gestatam, ut communicarent: tantum abest, ut deperdita illorum Causa patrocinetur, ut eam potius planè evertat, quandoquidem tota actio divinitus instituta, benedictio videlicet, distributio & sumptio ibidem observata fuit.

LXVIII.

Et quamvis Pontificij callidè quidem hic agētes Ruffini versione abutantur, quæ habet solenniter transmissam fuisse Eucharistiam: & Andradius quoq; nugatorium suum artificium prodeus ex hac historia deducere conetur: Eucharistiam olim per maxima locorum intervalla circumgestatam fuisse ex Roma scilicet in Asiam usq; laterem tamen lavant Esavita.

LXIX.

Eusebius enim recitans Irenæi verba, simpliciter habet cap. 24. in *ἑπέμποι*, & expresse dicit, hospites illos ex Asia Romam venisse: Non igitur hinc elici potest, pro peregrinis Eucharistiā vel asservatam vel repositam fuisse, vel etiā hospitibus peregrè adventan-

Euseb. lib. 5
cap. 24. in
Epistola ad
Victorem.

ventantibus cum campanis, luminaribus & reliqua pontificijs
 usitata pompa transmittendam esse: Sed hoc tantummodo sequi-
 tur, (attestante id etiam Ambrosio & Irenaeo) Eucharistiam ex
 conventu Ecclesiastico ad peregrinos ipso die adventantes, quo
 jam communio praesentium fuerat peracta, testificanda concor-
 dia & pacis gratia missam & delatam fuisse, ut ab illis partici-
 paretur.

Ambros.
 in 2. ad
 Timoth.
 cap. 2.

LXX.

Ludicra quoque consequentia est & turpissima ἀουμογισία,
 quam tertio loco ex 1. Epistola Chrysostomi ad Innocentium a-
 struunt, concludentes: Milites ingressi fuerunt in sacrarium &
 in illo tumultu sanguis Christi in militum vestes est effusus:
 Ergo repositio Eucharistiae in quasdam domunculas erat usita-
 ta. En tibi acutum Iesuiticum acumen, Helleboro purgandum
 ex hac connexionione elucet: Tale enim consequens quis unquam
 divinaisset? Ast puto me convenientius concludere hoc modo
 posse: Veterum igitur sacrarium non talis repositoria adicula
 fuit, sed locus ille, in quo celebrabatur consecratio, non admini-
 stratio Eucharistiae, ita vocatus est.

LXXI.

Et sanè frustra ex objecta temporis circumstantia, diei scili-
 cet vespera, ubi nulla communio institui solita fuit, se probare
 Eucharistiae repositionem & asservationem posse sperant.

LXXII.

In tota enim antiquitate more receptum fuit, ut quando ad-
 ulti baptizabantur, statim à baptismo ad sacram synaxim ad-
 mitterentur, ut mysterijs Eucharistiae communicarent: sive id
 factum fuerit ante sive post meridiem, sive etiam vespertino
 tempore, ut Cassander id multis veterum testimonijs firmissimè
 probat: Et hac ratione etiam dicit Chrysostomus, se cum omni
 suo clero in sacrario tunc adfuisse, ut videlicet baptizatis admi-
 nistrarent Eucharistiam.

LXXIII.

Ad hanc exemplorum Veteris Ecclesiae enodationem conse-
 ratur



ratur jam pontificia asservationis antithesis, & manifestum erit, res esse longè diversissimas.

LXXIV.

Nam 1. pontificij propter reservationem Eucharistiam altera specie mutilant, quia vini speciem non sine periculo reservari posse censent: Cui Chrysostomi historia ex professo reclamatur.

LXXV.

2. Panem illi consecratum reponunt, includunt & per aliquot dies, septimanas, menses & totum annum asservant, & ibi ad peculiarem cultum proponunt: quod veteres nunquam factitasse, ipsa exempla clarè ostendunt.

LXXVI.

3. Apud pontificios panis circumgestatur extra usum à Christo institutum, & defertur ac ostentatur ad incendia & alia mala a verruncanda sine distributione & sumptione, cujus exemplum in vera antiquitate monstrari potest nullum.

LXXVII.

Ab hoc igitur asylo antiquitatis, qua suam Eucharistia asservationem ac circumgestionem tueri conabantur, cum deturbatos se jam patres Tridentini viderent: hoc tamen evincere & obtinere cupiunt, inprimis ex Serapionis exemplo, ad què noctu presbyter in adibus suis infirmus decumbens, puero Eucharistiam deferendam tradidit, sicut historia apud Euseb. lib. 6. cap. 34. narrat, quod ad communionem infirmorum Eucharistiam reservare & ad illos gestare liceat.

LXXVIII.

Verum nullo negotio similiter ex ipsa antiquitate refutari possunt: Siquidem 1. ista reservatio, uti ostensum, nec universalis seu perpetua, nec etiam necessaria fuit, cum illis temporibus teste Cassandro, quotidie, quacumq; horâ, imò etiam noctu, postulante necessitate, communicatio in cœtu Ecclesiastico celebrata fuit.

LXXIX.

2. Consuetudo illa privata reservationis quantumvis antiqua & à veteribus quibusdam commendata fuerit, postea tamen
causis

causis illis desinentibus propter quas caperat, quarum potissima erat, quod tempore persecutionis non potuerunt quoties vel-
lent, ad celebrandam Cœnam Dominicam convenire, liberè mu-
tata, abrogata & severè etiam sub denunciatione perpetui a-
nathematis prohibita, & res ad præscriptum institutionis Chri-
sti revocata fuit, ut Concilium Toletanum l. cap. 14. & Casar
Augustanus cap. 3. affirmant.

LXXX.

3. Sicuti una hirundo non facit ver: Ita etiam unicum il-
lud Scrapionis exemplum in vera & veteri antiquitate solum-
modo exstans, & à Dionysio Alexandrino tempore Novatiani
schismatis presbyteris præceptum, nec apostolica traditio, nec u-
niversalis nec antiquissima, consuetudo esse potest, multò mi-
nus observationis necessitatem imponere vel veritati præscri-
bere.

LXXXI.

Tandem quando diversa tales allegantur consuetudines &
casus, semper probè considerandum est: quid simplicius, rectius
& propius accedat ad institutionem divinam, eiq. magis consen-
taneum sit: & quid pro ratione circumstantiarum magis serviat
ad adificationem. Quam etiam normam seu regulam Ecclesia
in hac ipsa materia de reservatione Eucharistia secuta est.

LXXXII.

Ex his igitur jam dictis ut & sequenti annexa pontificiorum
antithesi, sole meridiano clarius patet, nequaquam hinc posse
fratres Lojolanos concludere, nos etiam hinc iniquè veteres il-
los omnes, qui morem hunc asservandi Eucharistiam ad commu-
nionem infirmorum introduxerunt, damnare, dum illum tan-
quam peculiarem cultum ac necessarium observare recusamus.

LXXXIII.

Nam veteres i. morem hunc non tanquam necessarium,
sed pro illorum temporum ratione, quibus hæreses & schismata
plurima turbabant Ecclesiam, gravissimis de causis observare
compulsi sunt: Quibus pontificij in sua reservatione pro infir-
mis planè destituuntur.



LXXXIV.

2. Adductum Serapionis exemplum loquitur de communione in periculo mortis: Ast pontificij omnes infirmos ex reservatis communicant.

LXXXV.

3. Veterum reservatio tantum fuit pro illis diebus & horis, quando publicè in Ecclesia nō celebrabatur Eucharistia, & simpliciter sine superstitione & sine peculiari ritu usurpata fuit: Pontificij verò cum quotidie Missas celebrent, tamen pro infirmis ex paschali vel alia solenni communione per totū ferme annum particulas reservant, & quando ad infirmum cum luminaribus illa portantur pro reverentia isthac 200, si nudè absq; talibus ineptijs 100 dierum indulgentias omnibus promittunt.

LXXXVI.

4. Varia etiam in papatu questiones & mirabiles disputationes turbantes ac plus destruentes simplicitatem doctrinae & fidei de Eucharistia, quàm adificantes de particulis istis extra usum reservatis mota & sparsa sunt.

LXXXVII.

5. Falsa quoq; isthac opinio hinc orta & defensa fuit: Sacramentum minime verum esse, etiamsi Verbum Christi ad elementa panis & vini accedat, nisi consecratio fiat in templo seu altari pontificaliter consecrato: ac proinde veritatem Eucharistiae, non tam à verbis Christi, quàm à loco dependere.

LXXXVIII.

6. Haud etiam hoc pontificij evomere verentur; Eucharistiam ad communionem non rectè consecrari, extra actū Sacrificij Missae.

LXXXIX.

Cum hoc igitur in papatu ab antiquitatis exemplo in reservatione Eucharistiae quā longissimè recesserint: multiq; abusus & varia superstitiones, falsa & periculosa opiniones accesserint. Simplicissimum, rectissimum & tutissimum esse judicamus, ut tota haec res ad normam institutionis Christi, de quo pater è caelo clamavit Matth. 17. v. 5. Hunc audite, exigatur, & quid propius

555.
pius ad praescriptum institutionis accedat, siq; magis consentaneum sit, ad adificationem Ecclesiae faciat, consideretur.

XC.

Iam autem omnes uno ore fatentur Evangelistae: 1. Christum verbis suis, quae voluit ad elementum accedere, ut fieret Sacramentum, usum fuisse illo loco & tempore, ubi & quando distributurus erat communionem, & in praesentia eorum, quibus volebat communicare corpus & sanguinem suum.

XC I.

2. Verba illa in prima institutione pronuntiata: Dicite, accipite, comedite, hoc facite: non ad elementa, sed ad communicaturos dixisse.

XC II.

3. Noluisse communionem mutam esse actionem, sicut medicus Pharmacum alio loco & tempore preparatum propinat & applicat: Sed mandatum hoc addidisse, cum panem fractum & poculum benedictum discipulis traderet, ut quotiescunq; panem hunc manducarent, & poculum hoc biberent, mortem Domini annuntiarent, donec veniret, sicut Paulus id interpretatur 1. Cor. II. v. 26.

XC III.

4. Accedit etiam hoc praecipuum: Quia egrotis consolatio de usu & fructu Eucharistiae imprimis necessaria est, quam verbis Christi, quibus Sacramentum hoc conficitur, comprehendere & proponi nil dubium est: & fides quoq; non in spectaculo, sed in verbo eam quarit & apprehendit, sicut de Baptismo Paulus ait ad Ephes. 5. v. 26. mundans Ecclesiam lavacro aquae in verbo: Rectè sanè & utiliter verba coena, quibus panis & vinum Eucharistiae benedicuntur praesente & auscultante egrotis recitantur.

XC IV.

5. Illa ratione multa quaestiones frivola de particulis Eucharistiae reservatis praeventur & praeciduntur.

XC V.

Tandem etiam inutilis & vana illa Pontificiorum, ut & Sacramentariorum hac in parte papizantium opinio; ad veritatem videlicet Eucharistiae peculiaris loci qualitatem requiri,

ex



ex ipsius Christi & Apostolorum exemplis statim, ut non opus sit sollicitè alia testimonia conquirere, facile dilui potest.

XCVI.

In mensa enim vulgari & quidem in domo hospitis Christus primam suam dominicam cœnam celebravit: nec Apostoli peculiare habuerunt basilicas: sed sicut perseverabant in doctrina Apostolorum & oratione, quando in privatis domibus colligebantur: ita etiam per domos frangebant panem.

XCVII.

Ac sicut ad substantiam Sacramentorum non pertinet circumstantia temporis: ita nec loci circumstantia tanquam necessaria requiritur, siue nimirum in vulgaribus, siue privatis locis, re ac necessitate ita ferente, tam baptismus quam cœna Dominica piè administrentur.

XCVIII.

Ordinis autem gratia publica quaedam loca seu parochias, in quibus legitimi & ordinarij habentur conventus, ordinaria Sacramentorum administrationi & celebrationi destinata habere perquam utile esse affirmamus.

XCIX.

Sed pedem hic figo: Et unum illud Papistis ad deliberandum relinquo: Veram Christi institutionem, alicujus Synodi fictitio canonis: Apostolorum traditionem, quorundam veterum dubijs casibus: orthodoxorum patrum consensum, novis suis & veræ antiquitati incognitis paradoxis: sanas & ex ipsa Sacramentorum institutione ac natura petitas rationes, ineptis & absurdis glossematis præferre: & sic majorem Deo ac veritati, quam Antichristo Romano gloriam dare hætenus maluerint, hodieq; malint.

C.

Immanuel noster Iesus Christus, cujus nomen non sine blasphemia Esavita præ se ferunt, det illis mentem meliorem & convertendos convertat, contumaces autem ac perfractos hostium animos confundat, & mentes eorum ita turbet, ut gladium contra nos eductum in semetipsos convertant, triumphante interim & splendescente veritate ac luce verbi cœlestis, quam apud nos extinguere patiatur, sed subinde piorum pectora in vera fide accendat, atq; in sui notitia confirmet ad sui præpotentis nominis æternam gloriam & Ecclesiæ salutem perpetuam, id quod ardentibus votis oramus. Amen.

F I N I S.

99 A 6902

ULB Halle

3

002 064 405





17470c

Retro

VD17







B.I.G.

Farbkarte #13



533.

27



ATIO IX.
 CVND A
 AMINIS CON-
 TINI REVEREN-
 IMI VIRI, DN. D.
 CHEMNITII.

inens capita
Christi.
charistia Sacramenta, &
ndo.

ositiones
 O IESV CHRISTI.
 ESIDE

GESNERO,
 DOCTORE ET PROFES-
 Vitebergensi publico, ad
 mplo Arcis Electoralis
 as proponit

COTHENIVS
vicensis.
 Meisnerianis Anno 1603.

